



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Jacobi Alvarez de Paz Opera**

De Vita Spirituali, Eivsque Perfectione - Libri quinque

**Álvarez de Paz, Jacobo**

**Lvgdvni, 1611**

De Vocatione religiosa, & quòd homo eius beneficio vocetur ad vitam.  
Cap. xiiij.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77833](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77833)

mereatur? Hoc faciunt oculi Domini splendidiore vino, qui animam illustrantes immenso lumine sapientiae perfundunt, quo honoris mundani vilitatem aduertat, & à febus caducis ac perituris alienant. Pulchriores sanè oculi eius vino, quia vinum homines à sana mente in insaniam transfert, oculi autem Domini ab horrore tenebrarum in luminis locum traducunt. In illum (inquam) locum, in quo mundus pro Deo deseritur, bona vilissima pro pretiosissimis relinquuntur, Domus angustiae pro regia voluptatis aula commutatur. Hi oculi sunt, qui nos dissimulantes inuitant, vt properaremus exire sicut Noe de tempestate diluuij ad quietem arcae: sicut Loth de incendio Sodomae ad refrigeriũ montis: sicut Israëlitae de captiuitate Aegypti ad libertatem terrae promissae, & sicut pueri Hebraei de fornace Babyloniae ad locum, quem fecit Deus quasi ventum roris flantem. Hi oculi sunt sicut columbae super riuulos aquarum, quae lacte sunt lotae. ] Columba namque felle carens, riuos aspiciens aquarum, & lacteo colore, ac suauitate fuffula, quid mirum, si oculos Christi designet, qui neque aspectu peccatorum nostrorum, ad itam permouentur, nec miserationis suauitatem amittunt, nec se ab aquarum riuulis auertunt, id est, ab exiguitate nostra, quae semper instar aquae decurrit, & numquam in eodem stptu subsistit? Vidit te, o anima, Deus tuus, vidit te, non pulchram, sed deformem, non mundam, sed turpem & conculcatam in sanguine tuo: & simplicitate, ac mansuetudine columbina respiciens, non est ira commotus, nec indignatione perturbatus, sed misericordiae dulcedine tactus intrinsecus, quod sequentia Ezechielis verba demonstrant.

Genes. 6.  
18.  
Genes. 19.  
17.  
Exod. 12.  
51.  
Daniel. 3.  
Cis. 4. 1.

*De vocatione religiosa, & quòd homo beneficio eius vocetur ad vitam.*

CAPVT XIII.



**E**T dixi tibi (inquit) cum esses in sanguine tuo, Viue. Dixi, inquam tibi in sanguine tuo, Viue. ] Hoc est primum religioſae vitae beneficium, quae à diuina vocatione exorditur. Diuina verò vocatione nulla alia voce commodius explicari potuit, quam hoc verbo, Viue. Nam cum quis ad religionem vocatur, à faucibus mortis eripitur, & vocatur ad vitam. Nam in saeculo, Christo moriebatur, & morti vivebat, dum omni sceleri, & iniquitati habenas suae cupiditatis laxabat: in caeu autem eorum, qui se Deo consecraverunt, morti moritur, & Christo, qui est vera vita, viuit, cum vitis, ac iniquitatibus abdicatis operibus vitae, scilicet virtutis, & sanctitatis actionibus vacare contedit. Sed qua ratione Dominus eos, quos amat, vocet, & ad vitam religiosam trahat, attendenda est consideratione videndum. Sūt enim homines vitam secularem agentes, si prauis cupiditatibus gubernentur, tamquam ossa arida, nullo spiritus vigore fulcita, nullo carnis, ac neruorum vinculo copulata, nullo cutis operimento contexta. Neque spiritum gratiae habent, quia peccatis se subdiderunt, nec charitatis nexum, quia propria comoda (nulla habita proximorum ratione) intemperanter quaesierunt, nec virtutis operculum, quia eam à se vitis ac criminibus abdicarūt. Dominus autem, vt eos vocet, vniciuique ipsorum dicit, Viue. ] Clamat certè voce grandi, illa, inquam, voce, de qua scriptum est. Vox Domini in

Ezech.  
16. 6.

Psalm. 29.  
4.

**A** virtute, vox Domini in magnificetia. ] In tonat voce virtutis & dicit. Ossa arida, audite verbum Domini. ] Fugite de medio Babylonis, & saluet vnusquisque animam suam. ] Et tunc quidem, ecce commotio, & accedunt ossa ad ossa, vnunquodque ad iuncturam suam, & ecce super ea nerui, & carnes ascendunt, & extenditur in eis cutis desuper, & ingreditur in ea spiritus & viuunt, & stant supra pedes suos, exercitus grandis nimis valde.

Ezech.  
37. 4.  
Iere. 51.  
6.

**B** Primò adest commotio, cum ij, qui vitam religiosam sunt aggressuri, à somno vitiarum excitantur, in quo iacebant penè sepulti, & de nouo vitae genere sectando, meditari incipiunt. Secundò, accedunt ossa ad ossa, vnunquodque ad iuncturam suam, cum institutum sibi accommodatum, & à diuina prouidentia praordinatum, accipere statuerunt. Tertio, fortitudinis neruos acquirunt, quibus mundo blandienti, & status mutationem impediendi, resistunt. Item molli carne vestiuntur, secundum illud. Auferam à vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum. ] Quo spontaneè & sine vlla difficultate, quae suspiciebant, contemnunt, quae amabant, relinquunt. Deinde, cute prudentiae se contegunt, quae concepta desideria à consanguineis & amicis, ne clament, & prestrepant, sapienter abscondunt: postea spiritu amplioris gratiae viuificantur: (nam omnia, quae hucusque diximus, gratiae sunt) & illo ditati negotium bene consideratum, & impensè commedatum gnauiter aggrediuntur. Ac rursus viuunt, cum omnia, quae mortem afferebant, in ipso ingressu religionis, per veram detestationem deserunt, & modo viuendi placido, atque tranquillo semetipsos subiiciunt. Et tandem stant supra pedes suos, imò & super omnia terrena & visibilia per contemptum mundi, consistunt exercitus grandis nimis valde, qui possit alios vitae suae imitatione, & efficacia verbi à morte liberare, & ab hostium incurſione defendere. Haec omnia facit Dominus verè magnus & potens cum animabus in sanguine suorum vitiarum iacentibus, dicit, Viuite. ]

Ezech. 11.  
19.

**C** Audita hac voce, Viue: ] qua abducuntur à morte, & inuitantur ad vitam, sine dubio viuunt, quia à corruptione peccati liberantur, à morte vitiarum suscitantur, & natali quodam spirituali nascuntur. Nasci quippe est, veteres mores deserere, & non nos assumere. Nascitur homo (inquit Bernardus) quando sol iustitiae ortus in animo peccatorum illuminat tenebras, horrendumque Dei iudicium internis obtutibus offert, addens ad terroris vinculum breuem dierum numerum, & finem incertum. Haec planè vespera est, ad quam demorabitur fletus, & necesse est addi matutini laetitiam, vt audiam faciat nobis misericordiam suam: sic enim fit vespere, & mane dies vnus. Est autem dies ista iustitiae, reddens vniciuique quod suū est, nobis miseriam, misericordiam Deo. In hac die puer nascitur, quando ex his, quae diximus, ad amorem poenitentiae, & odium peccati animus excitatur. ] Vbi autem haec natiuitas cum magna tranquillitate habeatur, subdit, dicens: sed periculum est si forè velit inter saeculi turbas agere poenitentiam vbi nimirum alij venenatis persuasionibus, alij vndique exemplis peioribus ad peccatum alliciant; alij adulationibus in vanam gloriam, alij detractionibus in intemperantiam animum eius deiciat. Praecedat iam necesse est prudentiae radius, ostendat quantas, & quam importunas (praesertim in hac generatione nequam) opportunitates, & occasiones peccati offerat mundus, & ingerat: quàm debilis sit ad illas humanus animus, maxime qui in peccati consuetudine sit nutritus. In hac ergo die prudentiae eligat de

Bern. ser.  
3. de cir.  
cum.

praesenti

Psal. 25.  
5.

praesenti saeculo nequam fugere, dicens cu[m] Prophe-  
tia, Odi Ecclesiam malignantium, & cum impiis  
non sedebo. [Et optime sane vocat istum prudentia[m]  
diem, in quo homo ad conservandam vitam anima[m],  
religiosam vitam, & ab illecebris saeculi avulsam  
assumit. Quoniam si prudentia est ea cognoscere,  
quae vtilia sunt ad finem, & cognita eligere, & ele-  
cta, vt executioni mandentur, constanter praecipere.  
magna certe prudentia est volentis ad gratia[m] vitam  
peruenire, aut iam adeptam, integram illibatamque  
servare, si saeculum fugiat, si Ecclesiam malignan-  
tium odio habeat, si cum impiis ac peccatoribus  
non sedeat, inter quos vitam anima[m] non facile quis  
assequitur: adepta vero magnopere periclitatur.  
Huic sine dubio convenit illa Davidis laus: Beatus  
vir qui no[n] abiit in consilio impiorum, & in via pec-  
catorum non stetit, & in cathedra pestilentia[m] non  
sedet.] Quoniam ab impiis, & peccatoribus se sub-  
trahens, & inter iustos, sanctos, & simplices seip[su]m  
abcondens, vti que neque sedebit, neque stabit, ne-  
que ambulabit cum impiis peccatoribus, & pesti-  
lentibus, quorum doctrina, co[n]silio, & exemplo ho-  
mines a vita studiosa, quae vera vita est, auertuntur  
& ad vitam vitiosam, quae vere mors est, incitantur

Psal. 117.

Hae[ec] igitur fuga saeculi, haec diuinae vocationis  
auditio, haec huius vocis acceptio, qua dictum  
est anima[m] Viue, est natiuitas perseverans, qua coepit  
vivere Deo, vt si velit, facillime iam numquam ipsa  
moriatur. Nam in saeculo nonnumquam sane Deo  
viuitur, dum quis peccatis valedicit, & poenitentia[m]  
gemitibus suscitatur, tamen haec vita, quia multis  
subiecta periculis, negligentia ac incuria hominum  
interrumpitur saepe, & pro spiritali morte com-  
mutatur. At in caenobio anima[m] vita multo conser-  
uatur facilius, cum occasione ademptio, regularu[m]  
instructio, clamores senum, exempla feruidorum,  
praelati cura, & ipsa vocationis gratia, eam tueatur,  
atque custodiat. Certe in mundo morimur: omnia  
enim, quae oculis aut auribus percipimus, mortem  
absconditam, & inuolutam afferunt: & in religione  
viviunt, quia vniuersae actiones eius, vitales su[n]t. &  
vniuersa, quae sensibus ingerit, qualia sunt, ciborum  
parcitas, indumentorum asperitas, orationum iugi-  
tas, & frequentia correctionis, instigant ad vitam. Cum  
ergo quis ad religionem vocatur, ad vitam vocatur, &  
a Domino illi dicitur, Viue. An non est vita status  
ille, quo mens nutritur auxiliis, augetur meritis, & vt  
apta sit generandis in Christo filiis, potens efficitur?  
An no[n] est vita modus ille viuendi, cuius cultores pro  
consuetudine exercitatos habent sensus ad discre-  
tionem boni, & mali, qui inter bona, & mala, sensu  
spiritali, discernunt, vt ista vitent, illa amplectan-  
tur, & inter maiora, & minora bona, vt illa eligat, &  
minoribus bonis praepo[n]at? An non est vita, vbi re-  
peritur assiduus in caelum motus, & gressus nostri  
non in miseriam, sed in felicitatem diriguntur, vbi  
intelligetia ab ignorantia purgata, & a distractio-  
nibus expedita, diuini luminis claritate perficitur?  
Denique nonne vita dicenda est, in qua caelestis ci-  
bus offertur, amaritudo abnegationis dulcescit, &  
pacatus somnus, id est, interna securitas, inuenitur?  
Sed haec religionis propria sunt.

Iudith. 5.  
44.

Quadrat re vera in eius professores illud, quod de  
Israe[el]itis dicit Achior. Egressi mare rubrum, deserta  
Sinae montis occupauerunt, in quibus numquam ho-  
mo habitare potuit, vel filius hominis requieuit.  
Illic fontes amari obdulcati sunt eis ad bibendum,  
& per annos quadraginta annonam de caelo conse-  
cuti sunt. Vbi cumque ingressi sunt sine arcu, & sa-  
gitta, & absque scuto & gladio, Deus eorum pugna-

A uit pro eis, & vicit, & non fuit qui insultaret populo  
isti. Quotiescu[m]que autem praeter ipsum Deum suu[m],  
alterum colueru[n]t, dati sunt in praedam, & in gladiu[m],  
& opprobriu[m]. Longum esset caetera recedere, quae  
religiosis ordinibus no[n] esset difficile accommodare,  
sed vt, quae proposito magis conueniunt, attingamus,  
contenti erimus, quaedam ex ipsis, maxime ad religio-  
sos spectantia; qui deserta huius mundi petierunt,  
iuxta sensum mysticum illis explicare. Hi enim non  
contenti mate rubrum traiecit, id est, (vt interpre-  
tatur Origenes) gratia[m] baptismatis inuenisse, deserta  
montis Sinae, id est, statum religiosum occupant: illo  
Psalmographi verbo delectati. Ecce elongaui fugiēs,  
& mansi in solitudine. Expectabam eum, qui saluum  
me fecit a pusillanimitate spiritus & tempestate. [Il-  
la quidem deserta a malis, & plena bonis incolunt,  
in quibus homo numquam habitare potuit, ille scilicet,  
qui humanos affectus no[n] abnegat, & prauas cu-  
piditates non relinquit, & in quibus filius hominis,  
carnales patres non deserit, vt possit dicere: Pater  
meus, & mater mea dereliquerunt me, Dominus  
autem assumpsit me.] Nec miru[m] esse debet, quod nunc  
religiosam vitam desertum appellat, cum supra saeculum  
desertum vocauerim, quoniam (vt egregie dixit  
Richardus Victorinus) est desertum aliud bonum,  
aliud malum: Desertu[m] malu[m] est, vbi desunt germina  
virtutu[m], desertum bonum, vbi longe sunt tumultus  
vitiu[m]. Desertum est, & malum desertum, vbi nulla  
cultura hominum, vbi nullu[m] est sanctitatis vel reli-  
gionis studium. Itē, desertu[m] est, sed bonu[m], vbi nullus  
strepitus tumultuationis, sed in silentio auditur vox  
turturis, & gemitus non cessat ex desiderio diuini a-  
moris. Desertum igitur malu[m] est, vbi desunt deside-  
ria caelestia, desideria spiritualia. Desertu[m] bonu[m], vbi  
procul desideria saecularia, desideria carnalia.]

C Est ergo saeculum, desertum malu[m]: religiones autē,  
deserta, & solitudines bonae, in quibus ea desunt,  
quae anima[m] possunt officere, & ea abudant, quae pos-  
sunt salute[m] veram, & desideratam puritatem afferre.  
In his solitudinibus pinguescent religiosi, tamquam  
speciosa deserti, & exultatione ta[m]quam colles accen-  
dentur, quia fontes amari propria abnegationis, &  
corporalis afflictionis sibi dulcescit, & pane de cae-  
lo allato reficiuntur, qui nihil aliud est, quam omnis  
virtutis exercitatio, & diuinae consolationis assecu-  
tio. Ibi etiam tamquam in lecto securi quiescunt a  
metu paupertatis, & ignominiae, & ab aliis sollicitu-  
dinibus elongati, quia non timent, quod amant, &  
quod totis votis exoptant. Quare optime dixit Ber-  
nardus. In Ecclesia quidem lectulum, in quo quies-  
citur, claustrum existimo esse, & monasteria, in qui-  
bus quiete a curis viuunt saeculi, & sollicitudinibus  
vita. Atque is lectulus floridus demonstratur, cum  
exemplis, atque institutis patrum, tamquam quibusdam  
bene olentibus resperfa floribus, fratrū conuersatio,  
& vita resurget. Lectulus planē est vita religiosa, &  
lectulus floridus: lectulus, quia religiosi in eo non ta-  
m quiete viuunt, verum & calore spiritus tepesunt:  
floridus vero, quoniam humilitate, paupertate, casti-  
tate, obedientia & aliis Sanctorum patrum virtuti-  
bus exornatus, ita in se quiescentes allicit, vt num-  
quam ab eo velint discedere, neque ab ea quam per-  
cipiunt, suauitate elongari. Status hic, cui praedicta  
bona tam propria vita iucunda, & tranquilla, in-  
sunt, iure optime dicitur vita, & cum ad eum, o ho-  
mo, vocatus es, dictum est tibi, Viue. Et auctum est  
beneficium, & misericordia cumulata, quod cum  
conculcaretis in sanguine peccatorum, non est tibi  
iracunde dictum, Mores nec es in locum poenarum  
deiectus, sed est tibi misericorditer inculcatum, Vi-

E 3 uet

Orig. ho.  
5. in Exo-  
dum.

Psal. 14.  
8.

Psal. 26.  
10.

Richard.  
in Ps. 23.

Bern. ser.  
3. in eccl.  
Psal. 4. 9.

ser.  
cir.

ue:qua voce Dei,es mirabiliter translatus ad vitam.

Sed si cum vocamur ad religionem, in vitam adducimur, quare mortui, & non potius viuentes appellamur? Nam Gregorius religiosos mortuos, & no vitam agentes, vocat. Sunt (inquit) nonnulli iustorum, qui ad comprehendendum culmen perfectionis accincti, dum altiora interius appetunt, exterius cuncta derelinquunt, qui se rebus habitis nudant, gloria honoris expoliant, habere de exterioribus consolationem nolunt, qui internis gaudiis, dum mente appropiant, vitam in se funditus corporeae delectationis necant. Talibus namque per Paulum dicitur: Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cum Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria. Si ergo vitam religiosam ad hoc suscipimus, vt vitam nostram deseramus, ad mortem potius trahimur, nec dictum est nobis, Viue, vt de morte transeamus ad vitam. Imo potius hoc ipsum mori, & nos mortuos vocari, manifestum indicium est in aliam vitam praestantiorē, & non fictam, sed veram transferri. Nam sicut in naturalibus, lignum corrumpitur, vt ignis generetur, & granum framenti moritur, vt iterum auctum & multiplicatum viuatur, vnde in huiusmodi transmutationibus duplex semper intercedit mutatio altera, qua amittitur aliquid esse imperfectum: altera qua acquiritur esse perfectum: ita in hac religiosa vocatione, homo saeculo moritur, & ob hanc causam, mortuus vocatur, sed viuut Deo, vt non mortuus, sed potius viuens appellatur. Est ergo religio quaedam suavis, & pretiosa mors, qua religiosi moriuntur saeculo, vt Deo viuatur, ac caelestibus desiderijs. Omnino felix mors (ait Bernardus) quae sic immaculatum seruat, imo penitus alienum facit ab hoc saeculo, sed necesse est, vt qui non viuut in se, viuatur Christus in illo. Hoc est enim quod ait Apostolus: Viuo autem, iam non ego, viuut verò in me Christus. Ac si diceret: Ad alia quidem omnia mortuus sum, non sentio, non attendo, non curo, si qua verò sunt Christi, haec viuam inueniunt, & paratum. Nam si non aliud possum, saltem sentio placet, quod ad eius honorem fieri video, displicent, quae aliter sunt. Esto ergo quod vita religiosa sit mors, sed mors qua vitam carnis exuimus, vt vitam spiritus induamus: mors, qua sensus & affectus inordinatos deponimus, vt operibus internorum sensuum, metis & charitatis actibus occupemur: mors, qua mundum istum corruptibilem id est, saeculi huius molestias & curas relinquimus, vt alterius mundi potioris & incorruptibilis, nempe spiritualis & perfectae vitae habitatores simus: Quid mihi si quod de se putridam est, hac morte putrescat, & quod vanum est, abeat, & quod vitiosum est, intereat, dummodo vera bona & solida & pretiosa salua permaneant? Cum etiam si possent vtraque simul existere, melius sit illis carere, & ista sola possidere, reiectisque incommodis saeculi, solis veris bonis abundare? Quid hac morte pretiosius? Quid vtilius? Quid suauius inuenitur? qua homo ea, quae molestiam adferunt, nec aduertit, nec sentit, ea verò, quae spirituales voluptatem, ac tranquillitatem tribuunt, tamquam verè viuens, percipit, & in augmentum perfectionis aduertit?

Gen. 1. mor. c. 15.

Coloss. 3. 3.

Bern. ser. 7. in qua drag. Ad Gal. 2. 20.

Amb. lib. de bona mor. c. 3.

Ad Gal. lat. c. 6. 14.

A que, vt sciamus, quia est mors in hac vita, & bona mors hortatur nos, vt mortem Iesu in corpore nostro circumferamus. Qui enim habuerit in se mortem Iesu, is & vitam Iesu in corpore suo habebit. Operetur igitur mors in nobis, vt operetur & vita. Hac igitur mors, qua saeculo morimur, vitam veram non tollit, imò eam infert, atque ad nobis mundò mortuò, à Deo potentissima voce dicitur, vt viuamus, & à morte transeamus ad vitam.

Qui ita moriuntur, audiunt ex ore Pauli: Mortui estis, sed vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Mortui sunt hi deliciis, mortui diuitijs, mortui vanis amicitijs, mortui mundanis sollicitudinibus, ac desiderijs. Hanc autem mortem admisserunt, non quia mors est, sed quia iter ad vitam est: non vt mortui perseuerent; sed vt in meliorem vitam resurgant non vt maneant sine vita, sed vt securam habeant vitam, possidentes eam absconditam cum Christo in Deo. Moritur religiosus mala & carnali vita, vt viuatur spirituali & bona. Quid enim prohibet, si illi accommodemus, quod idem Apostolus, altruus carnis resurrectione, affirmat: Seminatur in corruptione, surget in incorruptione, seminatur in ignobilitate, surget in gloria: seminatur in infirmitate, surget in virtute, seminatur corpus animale, surget corpus spirituale. Quoties hac resurrectione mirabile in fratribus nostris conspeximus? Conspeximus, & eius causa Deum toto corde laudauimus, videtes, quia ipse vita, & mortis habet imperium, mortem animae pellens, & vitam spirituales attribuens. Nam si ingressus in religionem, veluti quaedam hominis seminatio est, qua teritur, vt mundo mortuus, Deo reuiuiscat, & fructum spirituales afferat. Quis non vidit saepe seminari hominem vitis corruptum, & post non multos dies, virtutum incorruptionem acquisiuisse? Quis non vidit seminari hominem affectuum vititate ignobile, & mortificationis exercitio, viles affectus cohibuisse, & gloriam caelestium desideriorum comparasse? Seminatur homo infirmus, qui existimabat se praeccepta seruire non posse, & subito fortis euadit, nam, & praeccepta custodit, & onus regulae facile sustinet. Seminatur tandem animalis homo, non percipiens ea, quae sunt spiritus Dei, & surgit post paucos dies vir spiritualis, omnia diiudicans: qui inter malum, & bonum, bonum & melius, oculo discretionis discernit, vt semper meliora optet, & ad perfectionem aspiret. Quidnam est hoc? nisi quod religiosa vita interitus est, & resurrectio mors & vita est, mors saeculi, & carnalium affectuum, & resurrectio in vitam spirituales, atque perfectam, quae vitae caelestis imaginem praefert? Bene ergo cum religionem ingredimur, vocamur ad vitam.

Ex hoc autem eliciamus oportet, nos qui hanc vocem Domini audiimus: Viue: & ad vitam religiosam admissi sumus, debere omnino curas rerum terrenarum deserere, mundo mori, & soli Deo, ac desiderijs caelestibus viuere. Nam quid magis praeposterum, quam, quod religiosus viuatur saeculo, cui mortuus est, & moriatur virtuti, & sanctitati, cuius vitam affectauit? Quid miserius, quam eius mortis, cui renunciauit, occupationes suscipere, & eius vitam appetiuit, studia renuere? Quid calamitosius, quam mortuum mundo, numquam resurgere, & ad vitam spirituales, quae vera vita est, non euolare? Mortui saeculo sumus, (inquit Ambrosius) quid adhuc saeculo deserimus? Mortui sumus cum Christo, quid adhuc vitae huius actus requirimus? Mortem enim Christi in corpore nostro circumferimus, vt & vita Christi in nobis manifestetur. Non ergo iam nostram illam vitam, sed Christi vitam viuimus, vi-

Coloss. 3. 3.

1. Cor. 15. 43.

Amb. lib. de fuga saeculi. c. 7.

tam innocentia, vitam castimonia, vitam simplicitatis, omniumque virtutum. Cum Christo resurreximus, in ipso viuamus, in ipso ascendamus, ut serpens calcaneum nostrum, quod vulneret, in terrenis reperire non possit.]

Qui ergo hanc mortem, & hanc vitam profiteris, more te actibus mortis, qua mortuus es, & viue vita, qua, habitu & professione viuis. Quis adeo despicit (ait Chrysostomus) vt mortuo corpore, corpori sepulto, aut famulos coemere, aut aedes struere, aut pretiosa indumenta comparare cupiat? Et, vir similitudinem ad propositum perficiam, Quis adeo infans est, vt viuenti, corpori, nec cibum, nec vestem, nec domum parare studeat? Hoc autem tu facis, dum in religione positus, non spiritualiter, sed carnaliter viuis. Es enim tu veluti duo, quoniam alter mortuus est saeculo, alter vero viuus Christo. Sed illi mortuo, vel (vt clarius loquar) tibi mundo mortuo, mundana sollicita queris, delicatos cibos, pretiosas vestes, pecunias, & equos, & apparatus saecularem paras, honores, laudationes, applausus, & dignitates conquiris, & tibi viuenti iam Christo, nec orationis cibum parare, nec virtutum vestes affluere, nec domum cordis tui, in qua pacate habites, adificare studes.

Et hic miseriam illa Salomone animaduersam conspicio. Est & aliud malum, quod vidi sub sole, & quidem frequens apud homines; vir, cui dedit Deus diuitias, & substantiam, & honorem, & nihil deest anima suae ex omnibus, quae desiderat, nec tribuit ei potestatem Deus vt comedat ex eo, sed homo extranscens vorabit illud.] Hoc malum sub sole est, neque enim vsque ad te peruenisset si supra solem, & super omnia mundana tuos affectus (vt decebat) & cogitationes attolleret; & frequens apud eos, qui ac si essent homines de prudentia, ac rerum peritia se iactant, quibus te ipsum adiungis, eo ipso quod mundum reliquisti. Hoc autem malum, & haec miseria tibi euenit, si in religiosa vita saeculares adhuc retines mores. Tu es enim ille vir, cui Deus diuitias, substantiam, & honorem contulit, & ob magnam negligentiam tuam, vtendi his bonis non habes potestatem. An non diuitiae sunt, & maxima, ingentia illa beneficia superius commemorata, quae in statu religioso continentur? An non diuitiae sunt alia dona caelestia, quae iam explicare pergitur? An non diuitiae sunt auxilia illa diuina, omnibus religiosis in communi praerogata, quorum praesidio alij fratres tui profecerunt spiritu, & ad magnum perfectionis gradum peruenierunt? An non est ampla substantia tot perfectiorum exempla, quae te instruunt, adiuant, & ad imitandum instigant? An non est honor ille, qui magnatum, & regum honorem excellit, quo vniuersi te prosequuntur, quia viri spiritualis habitum gestas? Num verum non est nihil tibi deesse, vt sanctae viuas, & vitia ac peccata tua funditus perdas? Et tamen laqueis tepiditatis illigatus, has omnes diuitias habes otiosas, quas extraneus, id est, Diabolus, deuorat, dum eas inutiles ac infructuosas in te esse considerat. Ista sunt diuitiae conseruate in malum domini sui; de quibus sic per Salomonem locutus est Dominus. Est & alia infirmitas, quam vidi sub sole, diuitiae conseruate in malum domini sui. O infirmitas periculosa, o languor pessimus has veras diuitias possidere, quibus iusti vitam beatam mercantur, & illis non vitam sed ignominiam, & vitam spiritualis discrimina, propriam salutem non curantibus parata mercari. Quoddam genus languoris est, quo cibi saluberrimi stomacho ingestis in pestimos humores conuertuntur, qui natu-

ralem colorem obruunt, & paulatim vitam eripiunt. Talis est aegritudo auaritia, quae dum auarus multas diuitias deuorat, & numquam liberaliter erogat, in diuitiam & immisericordiam commutat. At haec infirmitas est multo nocentior, quae dona Dei tam magna in sudario tepiditatis ligasti, nec, vt merita cumularent, ad mensam attulisti, quanto peius est meliora & pretiosiora suo emolumento priuare. Vide ergo tu qui religiosa uocationis possessor es, ne eam serues in malum tui. Quod autem sis hoc malum, audi: Iudaeis non excipientibus Christum, dictum est, Ideo dico vobis quia auferetur a vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. In nomine autem regni Dei, Dominus vel seipsum, vel Ecclesiam, vel sacra Scripturae verum sensum intellexit. Hoc ipsum erit malum tuum si spiritualibus hominis diuitijs negotiari contempleris. Nam forte Christus ipse te deseret; forte, si non ex Ecclesia, & ex securissima eius arce, nempe ex sterna religiofo deturbabit; forte a luce rerum spiritualium, qua sustentaberis, eiiciet. Si ergo audisti a Domino te vocante hanc vocem; Viue, in amplius factore vitiorum, & squalore peccati fordescas, sed viue tamquam inuitatus, & adductus ad vitam.

*De auxilio gratiae homini in vita religiosa attributis.*

CAPVT XIII.



ITA haec, quam statum religiosum suscipientes aggressi sumus, non est vita bonorum indiga, sed opum, ac donorum caelestium satis abunde referta. Cum enim sit veluti palatii regale, & domus magni Dei nostri, qua verus Salomon Christus extruxit, & consecrauit ad adolendum rationis incensum coram Domino, & fumigata sanctorum desideriorum aromata, & ad propositionem panu, hoc est, bonorum operum, sempiterna: qua erat, vt famuli, seu antici huius domus Dei, quales sunt religiosi, non essent pauperes, id est, spiritualibus bonis carentes, sed diuites, qui huiusmodi bonis, ac diuinis donis affluerent. Has autem spirituales opes Dominum anima religiosa largiter suppeditasse, verba sequentia subindicant Multiplicatam (inquit) quasi germen agri dedi te, & multiplicata es. Haec multiplicatio diuitias amplissimas, id est, gratiae subsidia, quae religiosi dantur, significat. Statim enim atque Deus aliquem in hunc praestantissimum statum admittit, instruit illi amplissimam domum, parat speciosissimam suppellectilem, tribuit copiosas diuitias, vt tamquam filius regis habeat, non tam quod liberaliter insumat, quam quod gaudia caelestia lucretur. Harum diuitiarum nomine, quibus anima Deo dicata multiplicatur, gratiae auxilia, & influxus intelligo: Sunt quippe, non solum comites, sed etiam omnium actionum virtutis ac vniuersae perfectionis exordia. Taceo nunc illa manentem affectionem, animo infusam quam gratia nuncupamus, quae non efficit Dei amicos, diuinaque natura confortes. Praeterea virtutes, tum intelligentiae, tum voluntati tum appetitui inditas, sodales, & pedisse quas gratiae, & charitatis. Sola illa gratiae auxilia commemoro, quae in actione consistunt, & merito appellauerim actiuosa, quia animam mouere, & instigare non cessant, vt in dies meritis crescat, & virtute proficiat. Huiusmodi autem sunt afflatus quidam diuini, qui intellectum illustrant, & suauiter de bonis erudiunt, & cuiusque rei

Chryf. ad Col. 3. 10. 7.

Ecc. 6. 1.

Matt. 27. 43.

1. Paral. 2. 4.

Eze. 16. 17.

Ecc. 5. 12.